

lationis voce quærant, recensuit CL. *Zimmermannus* peculiari dissertatione. Utrum & quatenus in rebus fidei obtineat præscriptio nuper nobile par *Fratrum VValenburgiorum* differuit; aliorum ierat CL. *Hulfemannus* Augustanæ confessionis Theologus peculiari itidem tractatu de præscriptione. Breviter tanta in Theologia Juridicarum controversiarum seges est, ut inter ἀνέκδοτα egregii *Dorscheri* posthumum opus Jurisprudentiæ Theologicæ titulo restet.

§. 6. *Jurisprudentia Didactica*, Elementorum nomine non ineptè appellabitur ad imitationem Elementorum Euclidis, quem in titulis suorum librorum *Th. Hobbes* Elementis de *Cive & Corpore*, ac *Joh. à Felde*, & *Sam. Pufendorf* Elementis Jurisprudentiæ secuti sunt. Elementa duobus absolvuntur: Explicatione terminorum seu *Definitionibus*, quibus respondet titulus de *verb. sign. & propositionibus* seu *præceptis*, quò pertinet titulus de *reg. jur.*

§. 7.